

rum autem, quæ aliquando in prægustu damnationis involvuntur, & peccati rationem habent, v.g. odium Dei, blasphemia, desperatio, Deus *non* est causa efficiens. Non enim influxu suo determinat voluntatem hominis ad eliciendos aut imperandos hos actus; ac propterea non est causa physica eorum. Sed *nec moralis* causa est, cum non intendat eos, *sive* intentione directa *sive* indirecta. Sane *directam intentionem* talium actuum peccaminosorum abesse a sanctissimo Numine, ipsa religio docet. Sed & eadem monente, *indirectam* quoque intentionem eorum Deo tribuere prohibemur. Etsi enim Deus permittat ista fieri, quæ poterat impedire; sufficit tamen, Deum non debuisse aut non fuisse obligatum, impedire illa. Et quamvis subtracta gratia divina, traditoque homine in Satanæ potestatem, illa contingant, ac Deus præsciverit, fore, ut contingant; non tamen ideo, quod Deus actus istos judicarios exercet, ipse etiam ea, quæ cum illis quoquo modo junguntur, intendisse, & causa eorum esse dici potest: cum non ideo, quod hæc cum illis jungeretur, aut inde sequerentur, Deus ad omittendos actus suos judicarios obligatus fuerit. Multo minus, cum Deus, pro sua providentia, fidelibus ac dilectis suis eam subtrahit gratiam, a qua sensus fidei pendet; atque ipsi interim in cogitationes aut querelas incongruas prolabantur, Deus harum causa dicendus est, quas licet permittat, ac velit permittere, non tamen vult ipsas aut intendit, nec producit.

§. XLVI. Sed quia Deus, quicquid in his agit, libere agit, si de *Causa* aut ratione *impulsiva*, quæ voluntatem ejus moveat ad agendum, quæras; pro diversitate eorum, qui prægustum damnationis percipiunt, ipsiusque prægustus illius diversimode respondendum est. Nempe quod reprobis Deus subtrahit gratiam suam, iramque ostendit & terrores incutit, atque in hoc statu eos relinquit, certum est, moveri eum sua justitia vindicativa, quam illi suis peccatis & incredulitate contumaci lacesiverunt: Unde *justitia* quidem Dei causa impulsiva *interna*; peccata vero, quæ diximus, causa impulsiva *externa*, recte dicuntur. Quoad eos vero, quorum conversionem aut conversorum renovationem & *δοκιμασίαν* Deus quærit & perficit, non tam justitia sua vindicativa, quam sua *Bonitate*, tanquam ratione aut causa impulsiva, moveri Deum existimamus: juxta illud Ebr. XII, 6. *Quem diligit Dominus, castigat.* Nam & cum malos in hac vita malis temporalibus afficit Deus, emendationem atque adeo salutem eorum intendens, non tam justitiæ oppositione ad